



**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

In Omnes Totivs Anni Dominicas Æstiuas, à Festo Pentecostes vsque ad
Aduentum

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXIX

Dominica XVII. Post Pentecosten.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56259)

Hoc autem, tu Domine, miraculorum maximum hodie edis, ut Phariseorum avaritiam coarguas, & hydropem aqueum sanando sanes, eadem opera hydropem aureum & prauos affectus. Renoua hæcce miracula summe medice, hosce morbos medicare, neque enim unquam alias ita opus fuit, nam mundus hydropicis scater & hydropem omnia plena sunt, ubique regnat superbia, dominatur per omnia ambitio, gula grassatur, avaritia laxatis habenis per orbem cursitat, denique hydropici sunt omnes. Hic turget cibus & ingluuie, ille siti acquirendum opum & dignitatis sublimioris laborat, alius denique vitiosis & infestis abundat humoribus & anhelitum fatentem habet, solam ut terram spirat & vanitates saculi. Hic manum admove Domine, hanc sitim exstingue, ardorem hunc compesce, tumorem hunc deprime, fœtorem illum intolerabilem exstingue, denique hydropicis hæc cura, & humilitatis virtutem concede, ut quemadmodum hodie ipse doces, eum qui se deprimat exaltandum, nos ipsos hoc in mundo profunda quadam humilitate deprimentes, aliquando in altero ad beatitudinem usque celestem exaltari mereamur, quâ concedere dignetur Pater, Filius, & Spiritus S. Amen.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

Partitio.

- I. De charitatis præcellentia.
- II. De amore Dei cordiali.
- III. De modis & causis Deum amandi.
- IV. De dilectione proximi.
- V. De modo & causis amandi proximum.

Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima, & ex tota mentis tua, Matth. 12.

FIGURA.

Lam. 6.

Leuitis olim præcepit Deus, ut in altari holocausti ignis perpetuo colluceret, neque unquam deficeret fomes. Verus hæc figura

denotabat, inter cetera legis Evangelicæ præcepta hoc imprimis eminere, quo Deus sacrum charitatis ignem jugiter in cordis ara in medio Ecclesiæ collucere & flagrare voluit, ut inquam Deum ex toto corde & proximum sicut nos ipsos diligeremus. Hæc scilicet Evangelij hodierni medulla est, quâ vobis proponam, cœlitus modo affulgeat auxilium, & Virgo Deipara opem polliceatur, quod ut fiat, nostras illi preces salutationemque Angelicam offeremus.

AVE MARIA.

Magnus Apostolus Paulus, qui est luporabidissimo & Ecclesiæ expugnatore persecutoreque; acerrimo, in agnum & feruentissimum Christiani nominis pugnatorem singulari Dei providentia conuersus fuit, de charitate sermonem instituens, eam omnium gratiarum gemmam & Theologicarum virtutum reginam appellare non dubitavit, *Maiores autem homines est charitas.* Id est, quod aurum inter metallas, sol inter astra, adamas inter gemmas, in corpore humano, caput, hoc inter virtutes & spirituales diuitias caritas. Nam sicut in corpore humano caput cetera dirigit membra, vitam ipsi, motum, sensum dat, quod nervi rigidi sint, venæ turgeant, arteriæ pulsent, sanguis per omnia distillat, oculi excubent, & totum corpus vigeat ac moveatur, soli tribui capiti debet: ipsum etiam corpus capite orbatur, non nisi truncus est, stipes massa rudis statua insensibilis, & exanimis, & mortua. Ita caritas in statu ac regimine spirituali digerit ac dirigit omnia, animas animat, sensibiles eas reddit, monet, robur ipsi ac vitam concedit, & sine hac cetera virtutes jacent, vitæque & meritis destituta sunt.

Hinc bene dixerunt Theologi, caritatem finem & cœtrum esse virtutum omnium, quod satis innuit, obscure licet, Psalmographus dicens, *Omnia conummationis videri finem, latum mandatum tuum nimis.* Latum mandatum appellavit, quod omnia ad ultimum illum finem tendant, cui charitas quam proxima est & ceteris omnibus vicinior: fides enim hunc ostendit, spes eo dirigit, & charitas eidem nos

Quod caput inter membra, hoc inter virtutes caritas.

Caritas omnium virtutum finis. Psal. 118.

nos connectit, hinc vinculum perfectionis appellatur, quod cum Deo qui vltimus finis noster est, & in quo summa nostra perfectio consistit, nos coniungat & nectat. Præterquam quod virtutes Theologicæ in hoc Moralibus præcellant quod Deum immediate pro objecto habeant, inter quas vt regina & princeps eminet charitas.

Finis legis
charitas.

2. Cor. 13.

Cant. 3.

Eandem viam insistit Paulus, cum caritatem finem legis appellat & prophetiarum omnium & Euangelij completum, *finis præcepti est caritas*. Quin etiam in ferculo illo regio summum caritas locum occupat: dictum quippe est in Canticis, *ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, a' censum purpureum media charitate constravit*. Opus vere regium ac splendidum! ad charitatem scilicet per gradus & ascensum purpureum ascendebatur, quod ad hanc virtutem, sanguinolentæ passionis Christi, qui pretiosum suum etiam pro inimicis effudit sanguinem, in quo egregiam charitatem ostendit, intuitu & contemplatione inflammemur.

§ mile.

Qui luculentum domi conservare focum cupit, non stramine, festucis, & alijs rebus levioribus illum fouet sed ligno querno, quodque incensum magnum calorem reddat. Ita quoque qui jugem caritatis feruorem in anima asseruare desiderat, ligna meditationis, & fœces contemplationis illi subdat. Cæterum maiora ligna merito appellari possunt pia de morte & passione Christi cogitatio, atque hac æternus amoris diuini ignis in anima nostra conservatur. Sed cœptam materiam profequamur.

Apo. 3.

Charitas autem
ro similis.

Charitas ad hæc sæpenumero comparata legitur auro, & potissimum in Apocalypsi, in qua Saluator ait, *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum p. obatum, vt locuples fias*. illa namque verum illud aurum est, quo cetera pia opera condecorantur & deaurantur, quodque illis excellentem splendorem, lucem, valorem ac pulchritudinem adjungit, Christus autem mensarius & negotiator est, qui nobis illam dat sœnorum quicumque autem semel hanc nancisci & obtinere poterit, ditissimus est, qui vero eadem caret, pauperrimus. Testatur hoc Apostolus, dicens, sine charitate se nihil

.Cor. 13.

esse, & cum illa opulentum & diuitem. *Sifidem habuero, ita vt montes transferam, charitatem non habuero, nihil sum*. Certum igitur est charitatem auro denotari: quo trahemus, 3. Reg. 6. quod libro tertio Regum, & secundo Paralip. legitur, vbi Salomon oratorium & templum auro purissimo scribitur cooperuisse, & clauos aureos fecisse: *Et lamina aurea texit eam quasi talentis sexcentis, sed & clauos fecit aureos, ita vt singuli clauos scilos qui quagen. s. penderet*. Per clauos hos aureos actus charitatis intelligo, nam timoris opera, clauus ferrei appellati sunt, vt in Psalmis, *Configo timore tuo carnes meas*, ne scilicet equus ille indomitus quoquam elabatur.

Alias egregia hæc virtus igni comparatur, vt enim ignis elementorum princeps est, gni collata ita & hæc virtutum, atque hac ratione exponunt nonnulli locum illum Ezechielis, *Sume tibi ignem de medio rotarum*, id est, Sactorum librorum meditatione, charitatem Deum erga & proximum in anima tua excita, nam per geminas hæc rotas, nouum & vetus Testamentum intelligitur, quia vero nouum, quantum ad figuras veteri inclusum erat, hinc rotæ rotis implicitæ leguntur. Idem etiam dicendum de loco illo Deuteronomij, in quo Moses de Deo scribit, *In dextera eius ignea lex*, id est, in Iesu Christo, qui Patris dextera est, lex charitatis, quam teste Luca in mundum erat allaturus, (*ignem veni mittere in terram*) continetur: Deinde vt ignis semper sublimem petit, nullaque ratione terræ affigi potest, ita & charitas semper ad cœlestia & diuina aspirat, rebusque mundanis affici nequit aut delectari.

Ad hæc, charitas est regia ac magnifica illa vestis, qua operit, teste Apostolo, *multitudinem peccatorum*, est pallium illud, quo Elias discipulum suum Eliseum in agro repertum cooperuit, quo mox vt cooperitus fuit, vomerem & aratrum accendit, & duos mactauit boues, quibus coctis Eliam, qui chlamydem dederat, securus est. Quid autem Eliseus hic arans designat, nisi peccatorem de rebus terrenis sollicitum, eisque affixum: & Elias hic in cœlum curru igneo raptus, nisi Iesum Christum charitate succensum, & in cœlos subuectum: Cum vero Deus specatorem

Gat.

Ioan.

Apo.

Psal.

tatorem pallio charitatis operit, mox mundi negotijs ille valedicit, iuga bouum, & aratra flammis tradit, id est, mundanas sollicitudines abiicit, peccandi occasiones deferit, & prauos appetitus, iugulans & mortificans igne sui ipsius mortificationis Deo offert & immolat, & tunc, non iam amplius vt carnalis & terrenus, sed & mere spiritualis ac coelestis viuit. Hinc exclamat de seipso Apostolus, *Viuo ego, tam non ego, viuit vero in me Christus.*

Charitas denique est vestis illa nuptialis, quam quia impudens ille conuiuia non assumpserat, acriter correptus fuit, & a Domino conuiuij eiectus manus & pedes victus, *Quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* quo denotatur, Deum magnopere erga virtutem hanc affici, & eadem quam maxime delectari. Ideo etiam crediderim, Christum permisisse quidem vt pretiosum corpus in arbore crucis tormentis dilaniaretur, tunica vero inconsutilis, quæ vestem illam nuptialem representat, vt diuideretur, noluisse. Quo mysterio docere volebat, plures se facere & fecisse vestem illam charitatis, quam corpus proprium: *Tunicam hominis iam iudicati, in cruce pendens*, ait hic Augustinus, *carnifices Pilati non sunt ausi concidere; & tu vis charitatem Dei: imo charitatem quæ Deus est, scindere?* quo loco discordiæ auctoribus, inimicitiarum & vindictæ cupidus locutus est.

Vidisse se in fronte Apocalypseos Angelum testatur Ioannes, præcinctum ad mammillas zona aurea: per Angelum hunc Christum intelligo, per zonam illam auream scio quidem Rupertum regiam Iesu Christi auctoritatem, ab omni mortali cõcretionem immunem, intelligere; de qua & Psaltes ait, *Dominus regnauit, decorem indutus est, indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se.* Scio Augustinum simul & Abulensem, sanctorum hic multitudinem designare: sed cum alijs pluribus crediderim ipse, de charitate, qua Christus vt zona cinctus erat, circa mammillas, quæ iustitiam & misericordiam illius denotant, capi debere. Quibus omnibus dulcis & suavis, quem in

Tom. 2. Pars 2. §. 11.

regenda Ecclesia adhibet, modus denotatur, non enim seuerus est & rigidus, sed maternus & lacteus. Charitas autem non immerito zona appellatur, quod cingat, includat, & comprehendat in se ceteras virtutes; atque hæc ratio est, cur Apostolus eam vinculum & fibulam perfectionis nuncupet. *Super omnia autem hæc charitas em habet Coloss. 3. 14, quæ est vinculum perfecti.* Cuius rei plures in veteri testamento figuræ præcesserant.

Hanc quippe denotabant catenulæ illæ *Exod. 28.* aureæ, quæ in rationali Pontificis Iudaici apparebant; illa enim catena in morem ceteras virtutes concatenat & nequit, *Facies in rationali catenas sibi inuicem coherentes ex auro purissimo, & duos annulos aureos, quos ponas in utraque rationalis summitate.* Cuius Beda super loci interpretem agens Beda ait, *Catena ex Exod. auro purissimo est continuatio caritatis, & non ficta dilectionis, rationali, id est, cordi firmiter affixa: duæ autem sunt, quia duplex est amor, Dei videlicet & proximi.* Merito autem charitas per catenam denotatur, vt enim illa ex pluribus annulis aureis composita est, ita charitas è diuersis virtutum operationibus compacta & concinnata, quæ breuiter Apostolus ad Corinthios recensens ait, *Charitas 1. Cor. 12. patiens est, benigna est, non amulatur, non agit perperam, &c.*

Charitas denique pretiosissima spiritalis ædificij supplex est, pretiosissimum monile animæ Christianæ, & gemma ceterorum regina; ipsa finis est legis, & maximum Euangelij præceptum, ita nempe ipsum tradidit & confirmauit apud Matthæum Saluator Christus: quod vobis ipse prælegam; *Di. Propositio. liges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, Hoc est primum & maximum mandatum.* Vt autem egregiæ huius legis vim & efficaciam, imo & animam, capiat, constitui, primo de requisitis in amore erga Deum, & deinde erga proximum agere, interea vero dum de amore & charitate sermonem facio, paciæce quæso, & benigne patienterque dicentem auscultate.

Primo igitur ait Matthæus, Phariseos Euangelij & vnum maioris auctoritatis præ ceteris, historia.

O o ten-

tentandi & excutiendi ergo, à Christo petijſſe, *Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege.* Chriſtum vero qua erat benignitate & promptitudine, mox reſpondiſſe, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, hoc eſt primum & maximum mandatum.*

II.
Duo dilectionis genera.

Antequam vero longius in præcepti huius expolitione progrediamur, duo amoris eſſe genera præſupponendum eſt, vnum amicitia dicitur quæ nobilis & excellens quidam amor eſt, quo aliquem propter ſeipſum diligimus, atque hoc modo pater amat filium; idque non aliam ob cauſam quam quia erga illum afficitur: alterum ipſa concupiſcentia eſt, quia amor non ita generoſus & nobilis eſt ac prior; quo aliquid diligimus, non propter ſeipſum, ſed propriæ nobilitatis reſpectu; vt ſcilicet aliquid inde nobis emolumentum & compendium proſiciſcatur: atque ita diligimus egregium aliquid palatium, proſperum ſucceſſum, regis ac principum beneuolentiam, &c. Ceterum duplici hoc amoris genere Deus ſuper omnia nobis diligendus.

Deus amore concupiſcibili à nobis diligendus.
Exod. 33.
Prou. 3.
Anſel.

Imprimis autem amore concupiſcibili, eo quod bonum infinitum ſit & infinite bonus, in ſe complectens, quidquid cetera creata boni ſparſim continent. Hinc olim Moyſi ait: *Oſtendam tibi omn. bonum, & in Prouerbijs ſcriptum eſt: Omnia qua deſiderantur, huic non valent comparari.* Exclamat igitur Anſelmus: *Cur ergo per multa vagaris homuncio, quærens bona anima & corporis, amans vnum bonum, quod eſt omne bonum & ſatis eſt.*

Deus amandus amore amicitia.

Amandus deinde eſt amore illo regio & nobili, quem amicitia diximus; cum enim Deus infinite bonus ſit, ſuper omnia amari debet, non quod ei bonum aliquid, quod non habet, deſideremus: habet enim & poſſidet omnia & omnium Dominus eſt, ſed vt laudemus quod ſummus ſit omnium Dominus & poſſeſſor, illique de potentia & maiestate congratulemur, illius honorem & gloriam in terra augeri videntes. Ita illum diligebat Pfalmographus cum diceret: *Quid mihi eſt in celo & à te quid volui ſuper terram, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum?*

Pſal. 68.

Ita autem Deus qui diligit, Dei charitate præcepto ſatisfacit, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Præcepit olim Pontificib. Iudaicis Deus, vt certum quoddam ſuffitus genus commiſcerent & componerent, quod ſibi ſoli ſuccenderent. & nulli alij rei applicarent. Audite præceptum: *Talem compoſitionem non facietis in uſus Veſtros, quia ſanctum eſt Domino, homo quicumque fecerit ſimile, vt odore illius perſuatur, peribit de populo ſuis.* Huic præcepto ſimile eſt præceptum amoris Dei, quem ſuper omnia diligere oportet; atque hæc mixtura & ſuffitus eſt, qui ſoli Deo adoleri debet, eique ſoli conuenit, ceteris rebus excluſis: in quod qui peccauerit, mortē haud dubie adibit, & damnationi perpetuæ ſe obnoxium reddet.

Nadab & Abiur, Aaronis Pontificis filij, *Leuit. 10.* quod ignem profanum & alienum acerræ imponere veriti non eſſent, cuiusque ſumum Domino adoleuiſſent, egregias temeritatis pœnas dederunt. Terribile proſecto exemplum; at egregium vobis omnibus documentum, quo edocemini, eos qui profanum & externum mundi ignem cordium ſuorum thuribus imponunt, Deoque illius ſumum & cineres offerunt; diuinam iracundiam prouocare, & grauiffima ſupplicia pœnaſque promereri. Soli nempe amoris Dei, & non mundi, coriſum pateat. Ita ſiquidem lex iubet: *Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Hac de re agens doctior Angelicus Thomas, ait: *Dei proprium eſſe, & ſi centrum totius amoris; eſt enim ille ſummum bonum, cur proinde debetur omnis amor.* Quis igitur iuxta magnum hunc Theologum Deum nō amet? quis non cum Apoſtolo exclamet: *Quis nos ſeparabit à charitate Dei?*

Cum rex Babylonis urbem Ieroſolymitanam vaſtaret, omniaque diriperet, ſacerdotes, cum multa templi vaſa & ſacram ſupelleſtilem occultare potuiſſent, ſi modo voluiſſent, ceteris rebus neglectis, ſolum ignem ſacrum occultarunt, ne ille ab hoſtibus violaretur. Ita omne proborum ſtudium ſit, quando tyranni eos perſequuntur, eorumque media diripiunt, ſacrum amoris.

Amor Dei omnibus rebus præponatur. amoris diuini ignem magna sollicitudine & accurate in anima conseruare; Diripiantur, inquam, opes, vestigia annua pessum eant, domus hæc conflagret, omnes facultates periculum adeant, modo inuolatum charitatis mandatum conseruetur; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Equum hoc est & rationi consentaneum, & quidem ex toto corde. Dicebat olim de Hebræis per Oseam Deus, *Diuisum est cor eorum, nunc interibunt.* Quo oraculo denotatur, eos pessum ituros, qui cor diuidunt, & affectus duas in partes disperiuntur, vnam quidem Deo, alteram mundo dantes, dicebat etiam Elias Israelitis, *Viquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini eum.* In duas autem partes claudicare est, velle Deum amare & simul mundum, & diuinum mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, violare*

Refert in concione in hanc Dominicam egregium exemplum Philippus Diez magnus ille concionator in Hispania. Fuisse scilicet Eremitam qui quotidie Deum orabat, ut quæ illi grata essent, & ad salutem comprimis necessaria, se edocere dignaretur. Apparuit huic igitur diabolus Angeliforma, & hac eum oratione est allocutus: Exaudite sunt preces tuæ, atque idcirco me huc Deus destinavit, ut quæ tibi ad salutem necessaria sunt,

aperirem; Tria igitur Deo, in peccatorum tuorum expiationem offeras necesse est, noxam lunam, rotunditatem solis, & quartam partem rotæ; quæ si habere & Deo offerre poteris, optime de salute tua sperandum est. Quo dicto obrucit, & euauit. Eremita vero, cum videret, nullum horum offerre se

Deo posse, quod haberi non possent, de salute desperare cepit. At Deus, qui afflictis semper adest, angelum lucis illi misit, qui illum mærentem consolatus dicebat, priorem illum dæmonem fuisse, & ea quæ facienda proposuerat prima quidem fronte impossibilia videri, attamen facilia esse intellectu; noxam etenim lunam notare C. litteram, quæ lunæ figuram representat; rotunditatem solis O littera designari, & quartam rotæ partem R. litteram, quæ quarta littera

est verbi Rotæ, quæ tres vbi concurrerint, efficiunt verbum COR, quod vbi Deo obrulisset, de salute sua bene posse confidere. Ceterum & Poeta quidam idem ænigma versu complexus est sed sensu non nihil immutato: *Dimidium sphaera. sphaeram cum principe Romæ postulat a nobis totius conditor orbis.* Dimidium sphaeræ littera C, sphaera autem O, & R, ipsum Romæ principium. Exposuit hoc & alius alio modo.

Tolle caput cornu, caput ouis, si ceruicem cerui:

Offert ista Deo, inde beatus eris.

id est, C quæ est prima littera verbi Coruus, & O quæ est prima vocis Ovis, & R, quæ media est in verbo ceruus; & hæc tria coalescunt & verbum cor effeceris, quod si Deo obruleris, gratissimum Deo sacrificium feceris, quin & sine ænigmate, sed aperte, in Prouerbijs ipsum sibi dari postulat, *Fili praebe* *Prover. 15.*
mibi cor tuum. *Robert.*

Simile pene refert Robertus Holcot in Prouerbia, de quodam, qui amico amicas scribens litteras ab ænigmate easdem inchoauit dicens, *Mitto tibi cornua lunæ, rotunditatem solis, & quartam partem rotæ.* Alter cum tria hæc connexisset, reperit cor sibi, & affectum ab amico, in grati animi signum, destinatum. Ita autem faciendum cum Deo, nam præcipit Euangelium, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Ceteris in rebus medium sibi sufficere sapius ostendit, sed cor integrum sibi dari voluit. Aliquam facultatem partem sibi satis esse dixit, ait enim apud Lucam, *Quod super est, date elemosynam, & ecce omnia mundata sunt vobis.* & cap. 19. Zachæus merita sua recensens, dimidium bonorum suorum se pauperibus dare asseruit. Deinde apud Ioannem reliquias seruator colligi iussit & fragmenta magni illius epuli in deserto, scilicet ut iisdem pauperes reficerentur: partem quoque fructuum terræ, decimam scilicet, sibi offerri vult, dierum quoque partem scilicet Dominicam, suo obsequio dedicari: at cor postulat integrum, & quidem mandato strictissimo, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Ex toto corde inquam, id est, ex totis viribus, & quantum amoris vires patiuntur:

O o 2 amor

amor namque Dei non potest in excessu peccare & ardore, qui quo vehementior eo & dignior & excellentior. Aristoteles ille mundi discipulus virtutes in medio; & vitia in extremis constituit; sed magni illi magistri coelestes docent, amorem diuinum in excessu perfici & adimpleri, & quo affectus nostri & desideria excedentiora, eo & nobiliora, maiorisque meriti esse, fateor quidem virtutes omnes, cum ad extrema progrediuntur peccare posse & virtutes esse desinere; nam vt de iustitia, id probemus summum ius summa sit iniuria, prudentia quoque limites excedens, ad curiositatem delabitur; fortitudo nimia fit audacia & temeritas; temperantia illimitata; transit in pusillanimitatem; discretio in supersticiosam religionem: sed amor Dei, quo à mediocritate & medio recedit longius, eo & diuinior ac magnificentior.

4. Esdr. 4.

Quomodo
ignis spiri-
tualis pon-
deretur.

Esdra loquentem audio Angelum & dicentem, *Vade pondera mihi pondus ignis.* Quis vidit vniquam ignem bilanci imponi, quis materialem ignem ponderauit: nemo inquam. Sed ignis ille spiritualis, id est, amor diuinus ab anima Christiani debet & potest in statera rationis ponderari, & ceteris amoribus, ac reliquis mundi reb. praeponderare: vt verum sit illud legis Euangelicæ decretum, *Diliges Dominum Deum, &c.*

Cant. 4.

Quo loco vulgata in Canticis præfert, *Quam pulchra sunt mammae soror mea sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino; & odor vestimentorum tuorum super aromata?* alij interpretes legunt, *Quam pulchri sunt amores tui?* Quibus verbis manifestum sit, quam grata celesti sponso sit cantus & affectus illius, qui amorem eius vino, id est, voluptatibus, delicijs & diuitijs mundi huius anteponebat. Vult igitur Deus à toto corde & super omnia diligere.

Cant. 8.

Idem ille Sponsus amoris sui erga dilectam vehementiam significaturus ait, *Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus amulatio,* id est, talis tamque vehemens tuus in me amor sit: charissima, vt morti & inferno par sit. Verba ex amore deprompta, sed aliquin inuoluta & obscura. Sensus igitur est, *Mors hominem omnibus desiderijs & af-*

fectibus mundanis, tum quoad læta, tum quoad tristia, insensibilem reddit: Infernus etiam inexorabilis est, adeo vt qui semel eodem fuerit deuolutus, numquam inde redeat.

Talem te erga me esse par est, charissima; nihil vt spires aut concupiscas quam amorem meum, & cum semel me amare coeperis, in alium amorem & affectum tuum non transferas. Mystice hic denotari credo, amorem, quo Deum prosequi debemus, morti similem esse debere, vt qui mortuos & insensibiles nos mundo voluptatibusque terrenis, Christo autem conuenientes reddat; inferno quoque depositum numquam reddendi similem, vt nimirum zelus noster & affectus adeo vehemens sit itaque æstuet, nullus vt dæmon, nulla inferni furia, nulla tentatio nos ab amore Dei sequestret; adeo vt cum Apostolo dicere possimus, *Quis nos separabit à charitate Christi? Tribulatio & angustia, an amor, an nuditas, &c.* Certus sum quia neque mors neque vita. In qua verba Chrysost. commentatus exclamat, *O Paulus cœlicius Ecclesiarum columna, Angelus terrestris, homo cœlestis.* Hic scilicet ad amulum Euangelicum mandatum seruabat, *Diliges Dominum, &c.*

Præcepti autem huius expositiones variegatae sunt & multiplices, & à se mutuo discrepantes. S. Gregorius in primis ait, Deum expositione ex toto corde, anima & tota mente diligere, nisi aliud non esse, quam super omnia illum diligere. Hugo Cardinalis ait per hæc verba Hugo super varios Dei diligendi modos præscribi, & Luc. 4. eorum singulis DEVM super omnia diligere debere, Primo quia Creator est, qui esse nobis dat. Secundo quia Tutor, qui nos & nostrum esse tuetur ac conseruat. Tercio quia Redemptor & reparator, qui bene esse dedit. Quarto denique quia Glorificator, qui optimum nobis esse promissit & dat, atque hic sensus est verborum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua; ex totis viribus tuis.* Nyssen ait, *ex toto corde tuo*, id est, ex tota potentia vegetatiua, quæ potissimum in corde locum habet: *ex tota anima tua*, id est, potentia sensitua, quæ in anima sedem sibi

sibi deiecit: *Et ex mente tota tua*, id est, potentia rationali & intellectiva, quæ mentem inhabitat; adeo ut quod vivimus, sentimus & intelligimus, amor Dei erga nos sit ascribendum.

Inj. dist.

Alij vero, inter quos Alexander Halensis, aiunt Deum è toto corde diligi debere, ut avaritia excludatur (appetitus enim è corde originem habet) Deum super omnia temporalia diligendo: *ex tota anima*, in qua virtus concupiscibilis, qua delectabilia appetimus, inhabitat, ut carnis concupiscentiam detestemur, super omnia creata Deum amando: *ex tota mente*, in qua consistit iactantia & superbia, ut inanis gloria procul pellatur, dñ Deum super omnes honores & mundi pompam diligitur. Qui vero ita amaverit, amat ut amari in præcepto charitatis iubetur, *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo*.

Simile.

Exod. 23. 25.
14. Lev. 2.
Num. 5.
Deut. 26.

Quam vero hoc æquum, & ratione consentaneum! æquum scilicet est, ut qui arborem plantavit fructus colligat. Cum igitur summus & potens ille Deus in hominem potentiam & facultatem amandi plantavit, certum est, amorem qui eius fructus est, illi jure meritoque deberi. In huius rei signum voluit Deus olim omnes arborum feracium primicias sibi dedicari: *Primicias frugum terræ tuæ deferet in domum Domini Dei tui*. Porro primitiæ præclaræ illius arboris, cordis humani inquam, sunt affectus, desideria, & amor, quæ Deo in sacrificium offerenda & immolanda sunt.

Prov. 7.

Sinceri amici dotes recensens Sapiens ait: *Omni tempore diligit qui amicus est*. Et sane qui verus Dei amicus esse satagit, semper illum diligit & ex toto corde, & anima tota. Idque sexcentas ob rationes, quarum hæc prima.

III.
Rationes.
cur Deus amandus.

1.

Deus aliqua ratione nostrum totum est & omnes, cuius nos membra & partes sumus, atqui naturaliter fieri videmus, ut pars semper totum suum diligit & mille subeat discrimina, plurima adeat pericula, ut vitatum tueatur tum conferret. Quod re ipsa & quotidiana experientia satis edocet. An non enim brachium iustus excipiet, & obijciat se-

mucroni caput ferire cupienti. Ad hæc an non omnes mundi partes uniuerso, quod velut totum est, ne in rerum natura vacuum detur, opitulantur & omni ratione, hoc ne fiat, se opponunt. Hinc ignis, præter rerum ordinem, aliquando descendit, terra præter naturam sublimis petit & sursum euolat, ær interdum conturbatur, confunditur & agitur, aqua denique interdum nova & inaudita sibi; insolita prodigia operatur. Omnia denique mundi membra, nescio quæ non faciunt, ut uniuerso succurrant, in quo insignem haud dubie amorem declarant. Cum igitur Deus totum nostrum sit, cur nos, qui illius membra sumus, & partes, eum non diligamus?

2.

Secunda. Amor quodammodo ens est omnium nostrorum affectuum, & quam in partem ille vergit, in hanc vergit & totus homo. Ipse primum mobile, qui ceteros intentionum nostrarum orbes & sphaeras abripit & secum trahit. Est Spiritus ille Ezechielis, qui omnes animi rotas impellit, & ad cuius impulsu sequuntur. Expertus hoc erat Augustinus cum diceret, *Amor meus pondus meum, illo feror, quocumque feror*. Equilimum igitur & rationi maxime consonum est, ut quoniam amor diuini quod continet, atque instar terminis omnes affectus nostros & voluntates dirigit & commouet, Deo in sacrificium offeratur.

Ezech. 1.

3.

Tertia. Torus mundus in seipso & sua magnitudine consideratus secundum speculatio- uos, nihil est, secundum mathematicos vero non nisi punctum, imo vix aliquid. At Deus qui eiusdem conditor & architectus est, æternum esse est, bonum infinitum, essentia quadam incomprehensibilis, & diuinarum abyssus. Si mundus igitur, qui non nisi mera vanitas est, diligi meretur & amari; magnus ille Deus, qui mera realitas, maiorem reuera amorem meretur. Ita argumentatus est David dicēs: *filij hominum, ut quid diligitis vanitatem? & queritis mendacium?* Id est, Cur tantopere mundum, qui non nisi vanitas est, diligitis, & Deum, qui summum bonum negligitis? cum tamen hic diligendus sit, ille vero contemnendus.

Psal. 46.

4. Quarta. Quidquid in mundi Theatro reperire est, creatorem amat & quodammodo adorat noctes & dies. Qui enim perfectissimas quasque creaturas inspicere & inueneri voluerit, videbit Angelos pulcherrimos illos spiritus, cœlos splendidissimos illos orbis, sidera rutilantia, quæ nonnulli instar numinis etiam cœuerint. Si vero in terram oculos coniecerit, elementorum videbit miracula, animalium diuersitatem, auium multitudinem, varia piscium genera, & alia plurima. Si deinde ab his omnibus petat, quid agant reperiet haud dubie, illa inter se diligenti quodam studio conspirasse, ut Creatori totis viribus seruiant & eundem adorent. Equumne erit igitur, solum hominem hic deficere, solum illum non amare Deum, cum tamen amet cetera?

5. Quinta, si homo Deum non diligit omnes haud dubie creaturas ab amore Dei abquantur. Amat, in mundo omnes item creaturæ eundem amabunt. Cum enim homo creaturæ quædam vniuersalis sit, illo amante, ceteræ creaturæ amant; illo autem amore destituito, ceteræ velut confusæ sunt, & sine suo frustratæ: Quemadmodum rege alicui obsequente, vniuersi regni incolæ etiam obsequuntur.

Cum igitur certo certius sit, hominem Principem esse totius vniuersi, si cui rei amorem is applicauit, huic etiam cetera suum applicent necesse est. Quam igitur turpe sit & absurdum, vniuerso hoc orbe Deum ex totis viribus amante & obsequente, hominem qui eiusdem rex est, eundem alio conari diuertere, & amorem alio distorquere?

6. Sexta. Quidquid naturale physicum est, quamdiu è debita sede motum est, semper violentum est nec prius quiescit, quam in centro sit. Porro magnus ille Deus naturale animæ & nostri centrum est, cui nimirum uiuimus, mouemur & sumus; extra quod cum affectus & amor noster fuerit, mundanis rebus in hærens, non quiescit, neque sibi satisfacit, sed semper in statu violento est. Hanc me Philosophiam Augustinus docuit, dum in Confessionum libro ait, *fecisti nos Domine ad*

te, & inquietum est cor nostrum donec perueniamus ad te.

7. Septima. Si quæ filia foret quæ finem non haberet, sed perpetua foret, ignis quoque similiter infinitus esset, neque unquam defineret. Ita, quoniam bonitas, maiestas, pulchritudo, & potentia Dei infinita est amor quo eadem amarétur; infinitus quoque esse deberet. Hinc bene exclamat Augustinus. *O ignis qui semper ardes, & nunquam exstingueris! O amor qui semper ardes, & nunquam tepescis, accende me & accendat, accendat inquam, ut totum diligam te solum, minus enim te amat, qui tecum aliquid amat.*

8. Octaua. Si amor venalis foret; quis pluris eum faceret, quis pluris emeret, quam ille qui certo certius gloriam cœlestem & vitam æternam in mercedem aliquando redditurus est; at si gratis datur, & si quid est, quod propter seipsum amari debet, anne dignius quid & maius Deo, qui ipsamet bonitas & amor?

Vltima sit hæc. Omnes virtutes morales & humanæ, hominem iustum, æquum & prudentem reddunt; sine iustitia enim, sine temperantia, castitate, prudentia, alijsque virtutibus meræ essemus bestię & bruta; at amor ille diuinus & caritas homines qui morti obnoxij, immortales reddit & semideos. Vnde Ioannes: *Qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo, &c.* deinde Paulus, *Qui adorat Deum, per amorem, spiritus est, cum eo.* Amor namque diuinus diuinus reddit, & mundanus mundanos. Idem asserit Augustinus, *si terram diligis, terra es; si cœlum diligis, cœlum es: nonne dixi, si Deum diligis, Deus es.* Ceterum anima nostra, ut D. Dionysius ait, speculo similis est, si enim cœlo ipsum obuenteris, stellas representabit, si vero terrę lapides, spinas & tribulos referet.

Quamobrem amemus Deum, cum amor illius in semideos non conuertat, & tot præclaræ rationes ad ipsum nos incitent & inuident, ipsa deinde lex & Euangelium iubeant: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Hocne igitur, ô homo, præceptum negliges? & Deitui oblitus æternæ re damnationi obnoxium reddes? adeone brutus & inhu-

4. Reg. 2.

& inhumanus fueris, vt Dominum, Creatorem, imo & Deum tuum è toto corde non diligas? At forsitan scire velis, num eum diligas? vide, num passionibus & prauæ cupiditates in animo tuo etiamnum locum habeant, nū vero extinctæ sint. Deo in montem descendente, circumundiq; mons fumigabat, quod Deus in igne & flamma in eundem descendisset. Quis hoc mysterio vacare dixerit: e quidem non nisi ratione factum hoc crediderim; & per ignem hunc caritatem, per fumum vero cupiditates, & inordinata erga bona temporalia desideria designari. Ignis enim proprium est humiditatem, quæ ei vbiuis & naturaliter aduersatur, expugnare, atque ab illa fumus enasci solet, quæ ignis è subiecto quod occupauit, elicere consuevit: eiusdem naturæ est & charitas, semper enim illa concupiscentias & appetitus brutales, qui eidem aduersantur, expugnat, & omni ratione conatur ex anima, quam occupauit mundi fumos & passionibus illas violentas expellere.

Simile.

Ac velut si arteriæ pulsus violentior & incitator est, de febris vehementia dijudicari solet: si vero lentus & morosus, non tanta vis morbi esse dignoscitur. Ita quoq; vehemens amor hominis erga Deum & charitatis ardor tum demum agnoscitur, cum desideria illius erga diuinum obsequium feruida fuerint, & ardor quidam entheus in animo se exferuerit. Atque ex his velut è symptomatis infallibilibus quamprimum dignoscitur, num quis Deum ex toto corde, & proximum sicut seipsum amat. Atque hoc est alterum præcepti & propriæ materiæ membrum: *Secundum autem simile est huic, diliges proximum tuum sicut teipsum.*

IV. In ipsa rerum omnium creatione, omnipotens ille opifex fecit duo magna luminaria, luminare maius, & luminare minus, à quibus omnis rerum inferiorum influxus dependet. Idem ille conditor in ipsa hominis constitutione duos insignes amores constituit vnum maiorem, id est, amorem Dei, & alterum minorem, id est, proximi; qui duobus quodammodo faces sunt & luminaria, quæ hæc inferiora illustrant, & à quorum

virtute omnis hominis fortuna & salus dependeat.

Docent Astrologi & Mathematici vni- Amor Dei uersum hunc orbem in duobus polis, velut & proximi cardinibus conuerri & inniri, quorum alter- duo sunt utrum si quis auferret; totius vniuersi ordi- poli. nem & constitutionem peruerteret ac destrueret. Ipsum de Christiana religione dictum esto, duob. illam amoribus, veluti polis inniti, Dei scilicet ac proximi, & alteruter illorum si quis læderetur & rescinderetur, tota legis & religionis moles collabaceret: *ex his enim duobus præceptis tota lex pendet, & Propheta.*

Ezech. 1.

Animalia illa Ezechielis alas habebant, quibus in sublime ferrentur & nubes transcederent, pedes quoque quibus in terra incederent. Allegoricum horum animalium sensum indagans, aio nos qui animalia sumus ratione præditi, alas quoq; habere debere, alas inquam amoris diuini; quibus ad Deum vsque euolent sublimes, cum super omnes diligendo; simul etiam pedes quibus in terra ambulent, pedes inquam amoris quibus proximum in terra commorantem diligant.

Quoniam volatus mentio incidit, certum est aues vna destitutas ala volare non posse, sed duabus instructas. Et quoniã scriptura animas nostras multis in locis auib. similes esse asserit, dico eas in cælum aut perfectionem volare non posse, nisi duas alas habeant, duplicem inquam amorem, Dei scilicet & proximi; at si vtrūq; habuerint, ad beatitudinem pertingere & instar aquilarum euolare. Vnde Propheta: *Assument pennas sicut Isai. 40. aquila, & volabunt.*

Refert in Prouerbijs Salomon, Sapientie domesticos & clientes, diploidibus, & duplicibus vestitos; *Domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Designare forsitan his volebat, electos & domesticos æternæ Sapientiæ, animam duplici vestimento, id est, gemino amore, tum qui in Deum, tum qui in proximum feratur, indutam habere debere.

Ardentibus votis petebat Eliseus dari sibi duplicem Eliæ spiritum: *sic in me duplex spiritus* Exod. 19.

spiritus meus, quo adeptus beatissimum se mortalium credebat. Ita quoque anima pia & sancta nihil maiori a Deo magistro suo contentione & ardore petere debet, quam duplicem illius Spiritum id est duplicem amorem (Spiritus enim amor est, & amor Spiritus) illius scilicet ac proximi, atque ab his certum est vniuersam legem & salutem nostram dependere.

Luc. 21.

Magnis extulit laudibus seruator pauperulam illam, quæ non nisi duos nummulos gazophylacio iniecerat, per viduam hanc Christianam animam designari crediderim, & per duplicem nummulum, duplicem amorē qui moneta est in cælo cusa, qui Ecclesiæ illatus & Deo oblatas, magni meriti est, imo maioris, quam omnes mundi amores & affectus inordinati.

Luc. 10.

Pius ille Samaritanus detulerat secum oleum & vinum, quibus saucij illius viatoris vulnera curauit, dedit adhuc denarios duos hospiti, ut diligentem illius rationem haberet. Hocce mysterio denotatur, nunquam Catholicam & vere Christianam animam in publicum sine amoris diuini vino & oleo misericordiæ erga proximum prodire debere, semper etiam duos illos denarios in cordis crumena asseruandos. Sunt hæc quippe vera ingredientia & medicamenta vere cælestia, quæ animam sauciam & varijs vulneribus deformem curant.

Ibid.

Cum Dei filius, discipulos per vniuersum terrarum orbem Euangelium prædicaturos emitteret, binos illos & per paria misit: *Misite illos binos ante faciem suam*. Edocere illos simul & nos voluit, duplicem illos amorem, tum Dei, tum proximi prædicare debere, atque in eo nullum errorem posse admittere. Ita hoc explicat Magnus Gregorius: *Ecce enim binos in prædicationem discipulos mittit: quia duo sunt præcepta caritatis Dei, videlicet amor & proximi*. Desuntne igitur nobis figura & allegoria? Ipsam etiam Euangelium annon satis superque insinuat proximum esse diligendum ut nos ipsos? atque hoc secundum est legis præceptum: *Secundum autem simi est hunc, Diliges proximum tuum sicut teipsum*.

Hom. 17. in Euang.

Ipsa jam inde ab incunabulis nos hoc natura edocet, atque in amorem hunc etiam inuitos trahit & impellit; ipsi etiam ethnici magno erga proximum semper amore fuere, nec cum modo dilexere, sed naturali etiam amore mori, morti eum, quauis promeruisset addicere detrectarunt. Et sane Nero humani sanguinis sitientissimus, cum initio imperij, quo benignissimus erat, morte cōdemnatorum catalogum legisset, ut sua illos auctoritate mortem promeritos iudicaret, amore subditorum stimulante astantibus dixit: *Vellem nescire litteras*, id est, utinam efformare litteras nescirem, quibus tot ciues meos morti jam cogor adjudicare.

Augusto Cæsare apud Asinium Pollionem cœnante, contigit seruum vitrum quoddam frangere cristallinum, quam obrem indignatus Pollio muranis eum obijci iussit: sed miser ille supplicij sæuitiam veritus, Imperatoris Augusti se pedibus aduoluit supplex, orans sui apud dominum causam ageret, ut atrox hoc supplicij genus in mitius conuerteret. Quo audito Augustus libertate primo eum donauit, deinde omnia vitrea vasa amici Pollionis comminui iussit, & viuaria destrui indignum ob exiguum crimen, imo inaduertentiam, tantam sæuitiam exerceri re ipsa, ostendens, vnius hominum votum salutemque pluri quam omnia quæ in mundo reperire licet, faciendam.

Simile quid de Alexandro Macedone refert Plutarchus: cum enim mater Olympias quempiam ad necem nescio, quam ob causam deposceret, ait, *Aliam mater à me mercedem postula, vita enim h. m. n. nullo beneficio compensatur*: & innocuum morti tradere nefas est, nisi iura iustitiamque violare, & amorem naturalem lædere velim. Huc facit etiam quod de M. Antonio refert Seneca, hic enim cum nefariorum quorundam conspirationem in caput suum procusam audiuisset, & omnibus condonasset, coram senatu testatus est, malle se mortuos ab inferis excitare, quam viuos ad inferos detrudere. Scipio vero Africanus, teste Plutarcho in vita, malle se, aiebat,

Natura proximum nos nostrum amare docet. Nero non os morti addixit: imperij, quo benignissimus erat, morte cōdemnatorum catalogum legisset, ut sua illos auctoritate mortem promeritos iudicaret, amore subditorum stimulante astantibus dixit: *Vellem nescire litteras*, id est, utinam efformare litteras nescirem, quibus tot ciues meos morti jam cogor adjudicare.

Bapt. Fulg. lib. 1. c. 5.

Plut. in Ap. phib. Grati.

bat, vnum ciuem seruare, quam mille hostes perdere. Dic igitur num barbari & ethnici proximum dilexerint, & annon præceptum charitatis seruandum sit? *Diliges proximum sicut te ipsum*

Plut. in Periclit. c. 6. Augustus Cæsar cum videret legatos externos, catellos meliores sine tenere, & quodammodo exosculari, petebat, num in patria illorum pueri reperirentur: indignum scilicet credebatur, amorem pueris debitum, bestiis impendi. Augusti responsum proposito adaptans meo, nefas esse duco & deplorandum, amorem, qui proximo debetur, rebus alienis & terrenis impendi.

Exod. 26. Præcepit olim Deus, vt cortina tabernaculi purpura & cocco bis tincto tingeretur: *Tabernaculum vero ita facies; decem cortinas de bysso retortas, & hyacintho ac purpura, coccoque bistinctio variatas, opere plumario facies.*

Hom. 38. in Ewang. Purpura vero & coccos colores illi regij & rutilantissimi symbola sunt charitatis, quæ regina virtutum & ignis quidam spiritualis est, quæ instar cortinarum cordis nostri tabernaculum velans, bis tincta sit oportet, amorem scilicet Dei & simul proximi comprehendat. Atque ita hoc exponit Gregorius: *Vos estis fratres cortina tabernaculi, qui per fidem in cordibus vestris secreta celestia velatis; sed cortina tabernaculi bis tinctus coccus debet inesse; coccus quippe: nisi speciem habeat, quid vero est charitas nisi ignis? sed ista charitas debet esse bistincta, vt tingatur, & per amorem Dei, & per amorem proximi.* Atque hinc eruere amorem proximi potestis: sed audite præceptum, *diliges proximum sicut te ipsum.*

V. Diliges inquam in aduersis, non minus quam prosperis tam in mala via felicitatis, quam tempestatibus aduersitatis. Tobias senior quamprimum vt visum recuperavit, & in pristinam fuisset fortunam restitutus: *venerunt consobrini ad eum, & congratulabantur ei de omnibus bonis, quæ circa illum ostenderat Deus, & per septem dies epulantes omnes cum gaudio magno gauisi sunt.* Non ait consobrinos ad illum venisse, dum in cæcitate ageret, & aduersitatibus premeretur, quo illum in tristibus consolarentur, &

Tom. 2. Pars Æstiva.

verbis inducerent, vt ærumnas æquo animo sustineret; at tum demum venisset, cum à calamitatibus iam liberatus esset, & lætiori fortuna vultu arrideret, atque hoc non est proximum diligere sicut se ipsum.

Primus mundi inquilinus Adam in hoc præceptum impegit, nec etiam uxorem patri quo se ipsum amore dilexit; cum enim Deus vtrumque coram iustitiæ suæ tribunali citasset, vt meritis delicti pœnas infligeret; ecce Adam, amica amicitia iura conculeans seipsum purgaturus ait: *Mulier quam Gen. 3. dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* Ingratitudinis huius & perfidiæ insimulauit Bernardus, & vere eum uxorem negat dilexisse; particeps quidem præuicationis eum illa fuit, sed pœnæ socius esse noluit. At iusti, veri illi amici, aliter profecto facient; nam tamen nullum pro amicis crimen velint admittere, eorum tamen causa supplicium & pœnam subire non verentur.

Aristoteles, referente Laertio, rogatus olim, quanam vera foret amicitia, ait: *vna est anima in duobus corporibus*, & sane octauo Ethicorum, priorem illam sententiam stabiliens ait: *Amicus est alter ego.* Quem admodum igitur vna anima, duo animans corpora, eundem vtrique sensum, motum & vitam daret; ita quoque vera amicitia, eandem sui quam proximi rationem habere deberet.

Si autem amicus est alter ego, amicitia profecto quæ eundem me amare cogit eodem quo me ipsum affectu illum diligere vult. Atque hac ratione obseruatur præceptum: *diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

Hoc autem amore prosequeretur Corinthios Apostolus cum iisdem scribens ait: *Emulor enim vos Dei amulatione*, id est, tanto 2. Cor. 11. vos affectu & amore prosequor, atque ita erga salutem vestram affectus sum, vt si mortem vestri causa oppetere necesse foret, sine ulla tergiversatione oppeterem. Perinde ac si diceret: *Quemadmodum amor Dei filium hominum redimendorum causa ad mortem compulsi; ita quoque idem amor me vitam meam vestri causa offerre iubet.*

Pp Oegre-

Cant. 8.

O egregium erga proximū amorem! de quo illud sponsi commode dici potest: *Fortis est et mors dilectio.*

Num. 27.

Non minor quoque fuit ille Moysis amor, quem erga populum suum ostendit. Cum enim cum Deus in Arabia montem Sinai euocasset, & minus terram promissionis ei ostendisset, nullo tamen introitus in eandem facto promisso, ille ab omni ambitione alienissimus, animam non contraxit aut tristi audito nuntio contristatus est: & quamvis prius cum moriturum prædiceret Dominus, vitæ tamen tempus sibi produci non postulauit, sed de sola populi salute commodisque sollicitus ac laborans supplicauit: *Provideat Dominus Deus spirituum vniuersæ carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire, & intrare ante eos, & deducere eas vel introducere, ne sit populus Domini, sicut oves absque Pastore.* De vxore sua ne hilum ac liberis, imo ne de seipso quidem laborat, sed vnicum Dei honorem & populi salutem spectat, quibus cætera postponit. Næ ille præceptum de proximo diligendo obseruabat: *diligens proximum suum sicut seipsum.*

3. Reg. 28.

Similis, ne dicam maior, fuit amor Eliæ Prophetæ. Cum enim summa & extrema per regnum Israel siccitas ac proinde sterilitas inualeceret, adeo ut triennij & semestris spatio nulla cælo pluuia cecidisset; ecce suorum contribulium misertus: *Eliæ ascendit in verticem Carmeli, & pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua; quibus precibus finitis copiosissimus cælo imber delapsus.* Quid putatis Eliam nouo hoc & peregrino orandi genere designare voluisse, aliud nihil profecto, quam vehementem, quo erga suos afficiebatur amorem. Hinc eliciunt nonnulli, fuisse apud Hebræos consuetudinem, ut domini si quando in seruos animaduertere grauius vellent, caput inter genua inferere, & manus pedibus alligare solitos, atque ita seruos in vnum instar globi conclusos, fustigationem dominorum excepisse, ut se ne mouere quidem loco possent. Huc alluisse visus est etiam Iob Prophetæ, dum tyranni cuiusdam vitam describens inter cætera ait: *Sicut*

Job. 15.

*vir qui preparatur ad gyrum, ad ictus scilicet & flagella manibus pedibusque colligatis excipienda. Quam consuetudinem Elias Propheta cum nosset, Carmeli montem ascendit, & in terram facie inter genua inferta, instar mancipij ad ictos excipendos parati, sese deiecit; obsecrans: iam triennium ac semestre elapsum est Domine, ex quo nulla in terram cecidit pluuia. Populi igitur tui miserere, tua obsecrata si supplicia hæc luit, equidem vadimonium præsto, ipse subito humeris, ecce me in flagella paratum, ac libenter patiar quidquid in illum acerbis decernere constitueris: paratum ecce me omnia suppliciorum ac flagellorum genera perpeti. O fecundum cælum! ô amorem incredibilem! hoc scilicet erat præceptum de diligendo proximo obseruare: *diliges proximum tuum sicut teipsum.**

Cervi cum à continente in insulas traicere per sinus marinos parant, solet qui ceteris robore & laterum fortitudine antecedit, in aquas se præ alijs conijcere cuius tergo sequens cornuum pondus imponit, & secundi tertius, atque ita longa serie aquarum secant impetum, mutuo obsequio viâ difficultatem solantes.

Et quoniam qui cæterorum ducem agit; alterius tergo ramosa cornua nequit imponere, & frangendis pectore fluctibus defatigatur, hinc emenso aliquo viâ spatio primum locum deserit & vltimi tergo imponit onus ac tum secundus agmen ducit, & mox alius. Hinc apparet, qualē erga proximum amorem & affectum habere debeamus. Ideo ait Apost. *alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi.* Id est, Gal. 6. *charitas legis summa est & finis, atque hinc Euseb. Emis. Eusebius Emisenus, alter alterius commodis semper inquad. studeamus, & inuicem labores & pera nostra. portemus.* Similitudinem porro de cervis habet, & Augustin. dicens: *de cervis nonnulli lib. 38. q. 28. scripserunt cum fretum ad insulam transirent pascuorum gratia sic se ordinant, ut onera capium suorum, qua gestant in cornibus super se inuicem portant, ita ut posterior super anteriorem cervicem collocet. Quid? bestia sibi inuicē opitulatur, & homines sese mutuo non diligant, cum.*

Eliæ in suos amor.

cum tamen & naturali lege & Euangelica ad illud inuitemur & obligari simus,

Rom. 8.

Apostolus aliud multis in locis non edocet quam caritatem, & ad hanc potissimum Romanos Neophytos exhortatur, *fraternitatem charitatis inuicem diligite*: proinde ac si dixisset, amplectamini charitatem, & vos inuicem amore fraterno diligite, regiam hanc virtutem consecretimini, virtutem inquam ceterarum virtutum reginam atq; ita rem se habere ipsa docet ratio, & Apostol. alio loco fatetur. *Nunc autem manent spes, fides, & charitas; tria hæc: maior autem horum est charitas* Idq; varias ob rationes, quarum hæc prima est.

Arist. 3. de anima.

Tres iuxta Philosophos anima facultates habet, intellectum, memoriam & voluntatem; quæ tribus egregijs virtutibus Deus insigniuit, intellectum fide, memoriam spe, caritate autem voluntatem. Cum igitur ceterarum facultatum nobilissima sit voluntas, utiq; omnia constituit ac fieri mandat; hinc efficitur caritatem, quæ Deum & proximum spectat, etiam ceteris virtutibus excellere. Hoc vt sentiam facit axioma illud Philosophicum: *Qualia sunt subiecta, talia sunt predicata.*

1. Phys. 2. de anima.

3. Topic. 8. 1. Ethic.

Secunda: finis, vt variis in locis docet Aristoteles, nobilior est omnibus quæ sunt ad finem: an non enim sanitas maior ac nobilior, quam medicamenta & malagmata, quæ ad eamdem tuendam, tum recuperandam constituta sunt? Atqui caritas finis est scopus ceterarum virtutum, vt Apostolus ait, ceteris igitur & nobilior & præstantior.

1. Tim. 1. Rom. 13.

in 1. dist. 23. & D. Thom.

2. 2. q. 23. artic. 6.

2. Ioan. 4.

2. 2. q. 23. art. 7.

Tertia. Virtutes Theologales alijs nobiliores sunt, eo quod ad Deum quam proxime accedant, cumq; cominus quodammodo alloquantur, & illum immediate vt obiectum respiciant, vt omnis Theologorum schola docet. At inter Theologicas caritas ceteris propius Deum accedit, eo quod ipsa Deus est, nam vt Ioannes ait, *Deus charitas est*; ceteris igitur & nobilior & præstantior; itaque ceteras excedit & præstat, vt sine illa aliæ penitus nequeant consistere, imo virtutum nomen amittant. Docet hoc D. Thomas in summa, & sane ita se res habet.

Quarta. Inter virtutes illa ceteris dignior & excellentior est, ac coronam meretur, quæ aliarum forma est, & ad cuius exemplar ceteræ efformantur, & à qua essentia & dignitatem mutuatur. Forma enim est quæ dat esse rei. Porro. Caritas, omnium Theologorum in tert. sententiarum iudicio ceterarum forma est; omnium igitur nobilissima & dignissima, cum teste Philosopho, forma sit quid diuinum & appetibile in natura.

Quare ex omnibus rationibus iam adductis statuere possumus tantam esse charitatis excellentiam, vt quamuis ceteras habere videamur virtutes, hac vnatenus destituti, nullam omnino habeamus: hanc vero si habeamus ceteras eadem opera possideamus. Testem hichabeo Augustinum, *Attende quanta est charitas, quæ si desit, frustra habentur cetera, si adsit, habentur omnia*. Tanti adhæc illa ponderis ac momenti est, vt sine illa nemo saluari queat, quamuis ceteras virtutes possideat. Ait enim Aristot. 8. Physic. & refert S. Thomas 2. 2. q. 1. art. 1. in causis essentialibus subalternatis, si vna auferatur, ceteras concidere; econtra vero prima firma permanente, ceteras etiâ subsistere. Quod exemplo manifestum reddam: Simile.

arboris prima causa radix est, deinde, truncus, rami, folia, flores, causæ sunt, quæ arborem constituunt; radix in truncum influit, ille in ramos, rami in folia, folia in flores, & flores in fructus, atq; omnia hæc de arboris essentia sunt, & sibi mutuo subalternata: at prima causa est radix, quæ vbi semel eradicata & ablata fuerit, cetera emoriantur necesse est; econtrario illa vegetante ac viuente, viuunt cetera. Quod vbi fixum fuerit & certum, necessario sequitur, caritate quæ prima causa est, & veluti radix, à qua ceteræ dependent virtutes, quæq; gratiæ meriti, omnisq; nostri præmij & origo ac radix, ablata & eradicata, cetera quoque omnia necessario deficere.

Nam si charitas in homine deficere cœperit, deficit & gratia, deficiente gratia, deficit meritum; merito deficiente deficit merces & præmiū; deficiente præmio ecquæ nā erit tandem beatitudo? & sic à primo ad vltimum sequitur, caritate amissa, omnia nobis

bis amissa esse, nullamq; beatitudinis spem superesse.

3. Sent. dist.
27.

Conemur igitur, Christiani, hanc animo virtutem inculpere, quæ nihil est aliud, vt Doctores aiunt, quam amor & dilectio, qua Deus diligitur propter se, & proximus propter Deum. Studeamus hanc virtutem obtinere, cui nulla nec in cælo nec in terra par haberi potest, nam vt Augustinus ait, *Charitas est donum Dei, quo nullum est excellentius.*

Bern. serm.
de carit.

Contendamus hanc parare, quæ sicut aurum omnia superat metalla, & oleum omnibus supereminet liquoribus; sic omnia bona mundi excedit. Studeam⁹, obsecro, hanc lucrari, quæ ex hominib. Angelos & Deos reddit; scribit enim Augustinus: *Quicumq; secundum regulam vera caritatis viuit, non homo vel Angelus, sed Deus censendus est.*

Lib. de ver-
bis Dom.

Deniq; demus operam, demus inquam, vt Deum ex toto corde diligamus, & proximum sicut nos ipsos, cum ab illo tota lex & Propheta dependeat.

Hanc obsecro, omnipotens & æterne De⁹, gratiam nobis præsta; fac queslo, vt te ex toto corde, tota anima, tota mente, & totis viribus diligamus: totum te corde creatorem; animam, vt Dominum; mens, vt Deum; vires denique totæ, vt beatitudinem suam diligant. Et est sane rationi consonum vt hoc modo diligaris: cum enim tu cor creaueris, id tibi totum offrendum est, cum etiam animam creaueris, totam eam tibi dedicare par est: cum menti & intellectui esse dederis, vt te penitus etiam cognoscat necesse est; cum denique ipse vires nobis concesserit, æquissimum est, vt tuo obsequio amorique omnes etiam impendantur. Ad hoc scilicet lex, Religio & natura ipsa nos obligat. Frustra alioquin homines, frustra Christiani diceremur, frustra denique fidem nacti essemus, si te post tot prægnantia præcepta diligere detrectaremus. Deinde quoque necessarium est, vt post te, proximum amemus, sicut nos ipsos, ita nempe id fieri iubes, ita censes & præcipis, nos quoque id ipsum facere decreuimus, modo gratiam concedere digneris. Scimus enim a duobus illis præceptis vniuersam legem & prophetas, atque omnem nostram beatitudinem dependere,

ad quam nos deducat Pater & Filius & Spiritus S. Amen.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

Partitio.

1. *Dignitas & vis fidei quanta sit.*
2. *Quid patria, quid cognatus deleamus.*
3. *Oblatus æger quorum nos moneat.*
4. *Baiuli & turba quorum.*
5. *Qualis fides profuit.*
6. *Qualis morbus sit & conuersio.*
7. *Qualis remissio & iustificatio.*

Ascendens Iesus in nauiculam transfretauit, & venit in ciuitatem suam; & ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.
Matth. 9.

FIGURA.

ARCA Testamenti veteris cum è Caria-thiarim, triginta hominum millibus stipantibus, in domum Obededom Lenitæ Gethai venisset, vniuersa familia benedixit, & varijs donis ac beneficijs domesticos omnes cumulauit. Hoc non nisi figura fuit veritatis, quam hodiernum Euangelium continet. Videte enim, vt Iesus Christus vera illa arca Testamenti noui, è Iudæa, turbis comitantibus, in domum cuiusdam Capharnaitæ veniens, eandem beneficijs cumulauit & benedictionibus cœlestibus repleuit, in eadem Euangelium prædicet, peccata dimittat, & paralytico sanitatem conferat. Ecquanam Deus bone beneficia! sed ecquæ etiam materia quam huius horæ spatio vobis audientibus deducam! Hoc itaque intendo, modo Spiritus Paraclæti affulgeat auxilium, & virgo Deipara precibus ad filium profusis mihi gratiam impetret. Quamobrem angelicæ salutatione compellemus:

AVE MARIA.

Constantinopoleos decus, Ioannes cognos-